

## FONTES TANNOIANI

Opus classicum Patris Antonii M. Tannoia (1) de vita S.P.N. Alfonsi (2) ac de primaeva historia nostri Instituti (3) — primum exemplar et fundamentum huiusmodi librorum postea conscriptorum vel in posterum conscribendorum — sicut alia opera huius generis, ex innumeris fere notitiis ac notitiunculis coaluit, quas indefessus auctor per multos annos undequaque diligenter collegerat.

Novimus enim P.em Tannoia adhuc iuvenem consilium cepisse memorabilia venerati Patris sui sollerter conservandi (4), ita ut opportuno tempore biographiam eius componere potuisset (5). Quamquam non proprie cum Fundatore convivebat (6), tamen permultas cognitiones ex personali cum eo necessitudine consecutus est (7), sicuti expressis verbis in Processu beatificationis depo-

(1) TANNOIA Antonius, \* 27 X 1727, prof. 8 XII 1747, † 12 III 1808; cfr *Spic. Hist.* 2 (1954) 274 n. 161.

(2) *Della Vita ed Istituto del ven. Servo di Dio Alfonso M. Liguori, Vescovo di S. Agata de' Goti e Fondatore della Congregazione de' Preti Missionari del SS. Redentore*; Napoli, V. Orsini, 1798-1802; 3 vol., pp. XVI-370, [VIII]-424, [IV]-264. Editiones posteriores apud M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie générale des écrivains rédemptoristes* II, Louvain 1935, 418 n. 3. - An. 1857 vulgata est editio apud Marietti, Torino, de mandato RM N. Mauron, cura P.is Ant. CHILETTI, quae postea pluries fuit typis impressa ut tomus X et ultimus Operum omnium S.i Alfonsi. In hac editione tamen P. Chiletti quosdam errores admisit, quos RM ex officio in epistula circulari diei 2 II 1858 reprobavit. Cfr *Litterae circulares* R.mi P.is Nic. MAURON, Roma 1896, 23-29.

(3) Notatu dignum, ipsum Tannoia non tantum biographiam S.i Alfonsi sed etiam historiam Congregationis praebere intendisse: «Io ho intrecciato vita di Monsignore e storia della Congregazione, mentre quello che è storia della Congregazione, è anche vita del Servo di Dio». - Tannoia ad Hyacinthum Amici, advocatum Causae beatificationis S.i Alfonsi, Napoli 8 X 1796 (Minuta in AG XXXVI D 31).

(4) «Se vi è memoria, che di lui rilevasi, posso con franchezza asserire (esecrando ogni jattanza), esser tutto dovuto ad una mia special sollecitudine, che m'investì sin da giovanotto, per la di lui persona, sì per la venerazione, che sentiva in me stesso, che per esser grato a chi tanto doveva e che tanto mi amava». - *Della Vita ed Istituto*, Praefatio vol. I (Napoli 1798) p. VII.

(5) Cfr F. DUMORTIER CSSR, *Le Père Antoine-Marie Tannoia... Notices biographiques*, Antony [1902], 107. - Versio italica a Mons. Ant. BALDUCCI, Casalbordino 1933, 92. Versio italica concluditur cum: *Appendice II*. Gli altri Redentoristi di Corato.

(6) «Non ho io avuto con esso una fissa permanenza». - *Della Vita ed Istituto*, Praefatio vol. I, p. VII.

(7) «Dalla mia deposizione potrà scorgere, come sono io appieno inteso delle cose di Monsignore, avendo trattato [con lui] sopra 40 anni, e sempre ho avuto in mira notarmi tutto quello poteva servire alle di lui memorie». - Tannoia ad Amici, 8 X 1796.

suit (8). Alias notitias ab iis, qui cum Sancto immediate convivebant aut in usu erant, accepit et data opera exquisivit iam a primis annis post professionem religiosam (9). Fidelis propositi iuventutis suae exsecutor, post quinquaginta annos magnum valuit trium voluminum opus biographicum-historicum perficere, gratitudinem aeternam consodalium coaevorum ac posteriorum sibi concilians (10).

Haec vero vita tannoiana S.i Alfonsi non ad modum et iuxta methodum modernae artis historico-biographicae scripta est, sed potius sese praebet ut librum memorabilium, omissa disquisitione explicita de veritate aut probabilitate multarum notiarum, quae traduntur, ac de earum fontibus. Desiderantur annotationes, a.v. sic dictus «apparatus criticus», quibus affirmations, narrationes, anecdota singula ad fontes reducuntur et ex fontibus explicantur. Reperti sunt insuper quidam errores, aliaque quae minus veritati concordant, quae tamen minime auctori qui cum maxima sollicitudine opus tam grande in adjunctis difficilibus perfecit, nimio vitio vertendae sunt (11).

In Congressu historico CSSR an. 1948 a R.mo P.e RM Buys convocato «ad promovendum studium et scientiam historiae nostrae Congregationis» (12), in quo ab ipso RM enixe commendata est «methodus illa severioris criticae, quae hodie cum tanto ipsius historiae veritatis profectu in hisce disciplinis viget» (13), RP D. Capone praelusionem habuit *De primis S. Alfonsi biographis*, in qua argute de meritis ac defectibus operis tannoiani disseruit (14). In deliberationibus postea secutis votum enuntiatum est exarandi editionem criticam operis P.is Tannoia; haec enim editio, una cum nova editione critica epistularum S.i Alfonsi (15), praebere debet fundamentum solidum ac primarium ulteriorum studiorum historiorum circa vitam nostri Fundatoris ac vitam Instituti saec. XVIII.

(8) «Ebbi ancora col. ven. Servo di Dio della molta familiarità a cagione de' varj impieghi della Congregazione da me sostenuti, su de' quali io doveva con lui conferire per riceverne i necessarj oracoli». - Proc. ap. de S. Agata, Copia publica, fol. 261<sup>v</sup> (conservatur in AG).

(9) «Cinquant'anni addietro [ergo c. 1748], ancorché chierico, ebbi premura abbocarmi con sua madre». - *Della Vita ed Istituto*, Praefatio vol. I, p. VII.

(10) Card. Clement VILLECOURT, *Vie et Institut de S. Alphonse-Marie de Liguori* I, Tournai 1863, p. XVI: «Ses détails paraissent parfois minutieux; mais, en bon fils, il s'est fait un devoir de raconter les moindres circonstances de la vie d'un fondateur et d'un père. Les membres de sa Congrégation doivent lui en conserver une éternelle reconnaissance».

(11) Emendationes minores quaedam inveniuntur praesertim in studiis P.um De Meulemeester, Gregorio, Tellería.

(12) Ita ipse R.us Buys in oratione inaugurali, die 29 III 1948. - *Analecta* 20 (1948) 52.

(13) IDEM, *ibid.* 56.

(14) Cfr *Analecta* 20 (1948) 5.

(15) Cfr *ibid.* 58.

Desideratus ille noster sodalis, qui tandem aliquando criticam editionem biographiae tannoianae parabit, certo per longos annos in duro labore sese lectioni operum historicorum ac investigationi archivorum dedicare debet. Inter archiva adeunda absque dubio primum locum occupat archivum nostrum generale in quo immensa copia notiarum utilium continetur, quamquam minor tantum pars documentorum administrationis CSSR saec. XVIII ibi salvata est.

Versamur in condicione faustissima, quod conservatur in archivio generali<sup>(16)</sup> magna collectio multiplicium scriptorum varii generis, documentorum notarilium, epistularum, relationum brevium et longiorum, notiarum et memorabilium, quae P. Tannoia in tantis annis a permultis personis acceperat, et vivente adhuc S.o Alfonso et magis post eius mortem, pro biographia congesserat. Saepissime Tannoia in his scidulis et notis propria manu vel argumentum vel auctorem notiarum apposuit; pluries una cum scripto originali invenitur copia clarioribus litteris exarata; saepe quibusdam signis in margine positis quaedam notitiae ostentantur. — Certo certius scriptor noster ex his fontibus magnam partem eorum hausit, quae in voluminibus suis sub oculos nostros posuit. Alia tamen videntur conservata ad inserviendum in compositione ultimi voluminis quod *De virtutibus sui herois conscribere* voluit, quin tamen hoc perficere potuisset, variis adiunctis impeditus<sup>(17)</sup>.

Credimus itaque, nostris sodalibus atque futuro editori critico Vitae S.i Alfonsi tannoianae gratum opus praestare, si — data occasione — in his foliis nonnumquam unam alteramque notitiam seu fontem, ex hoc magno mari tannoiano piscatum, praesentabimus. Hoc modo intendimus explanare viam, prout condiciones nostrae hodiernae id permittunt, ad editionem criticam operis P.is Tannoia, simulac praebere studiosis praeviam quamdam possibilitatem diiudicandi idem opus quoad fontes eorumque usum.

L.

---

(16) AG XXV, XXVI, XXVII; sunt tres fasciculi, inscripti *Beatificatio*. Occasione investigationis, pro relatione in supranominato congressu factae, P. Capone veram eorum naturam detexit.

(17) P. Tannoia in fine Praefationis vol. I (p. X), ubi schema operis praebet, haec habet: « Ed il V [libro] contiene le particolari sue virtù... ». Anno 1857 RM Caelestinus Berruti novam editionem operis P.is Tannoia curavit in 4 vol. (Napoli, Uffizio dei Libri ascetici e predicabili) « coll'aggiunta del quinto libro contenente le virtù del Santo, dall'autore promesso, e poi supplito e composto dal Rev.mo P. D. Cel. Berruti » (vol. V; 391 pp.), « per supplire una tale mancanza e rendere completa la vita scritta dal Tannoia » (Prefazione p. 5). - Postea liber V, a P.e Berruti operi tannoianae adiunctus, separatim editus est cum titolo *Lo spirito di S. Alfonso M. de Liguori*: 2<sup>a</sup> ed., Napoli 1873; 3<sup>a</sup> ed., Prato 1896.